Quelle: https://manuscripta.at/?ID=409
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Illud vero fidentissime dixerim, eum qui pro homine ad hoc intervenit ne male ablata restituat, et qui ad se confugientem quantum honeste potest ad restituendum non compellit, socium esse fraudis et criminis. Nam misericordius opem nostram talibus subtrahimus quam impendimus. Non enim opem fert qui ad peccandum adiuvat, ac non potius subvertit atque opprimit. Sed numquid ideo nos aut exigere aut exigendum tradere vel possumus vel debemus? Agimus quantum episcopalis facultas datur, et humanum quidem non numquam, sed maxime ac semper divinum iudicium comminantes. Nolentes autem reddere quos novimus et male abstulisse et unde reddant habere, arguimus, increpamus, detestamur, quosdam clam, quosdam palam, sicut diversitas personarum diversa videtur posse recipere medicinam, nec aliquos pernicie ad maiorem insaniam concitari.

Aliquando etiam, si res magis curanda non impedit, sancti altaris communione privamus. Verum saepe accidit ut nos fallant, vel negando se abstulisse vel affirmando se unde restituant non habere. Saepe et vos fallimini putando vel nos non agere ut reddant, vel ipsos habere unde reddant. Omnes aut paene omnes homines amamus nostras suspiciones vel vocare vel existimare cognitiones, quando credibilibus rerum signis movemur, cum credibilia nonnulla sint vera. Loqueris quosdam commemorans qui et sceleris poenam sibi cupiunt relaxari et id propter quod scelus admissum est possidere. Addidisti etiam atque ita: pro his quoque interveniendum putat sacerdotium vestrum. Fieri enim potest ut tu scias quod ego nescio, et propterea putes pro aliquo interveniendum quod me fallere potuit, cum te non potuerit, ut ego eum non credam

sunt falsa, sicut incredibilia nonnulla

possidere, quod tu possidere nosti. Ita fit ut circa eundem de reo sententia non una sit nostra, neutrum tamen nostrum placeat quod res non redditur aliena. De homine ut homines diversa sentimus, sed in ipsa iustitia simul sumus.

Sicut etiam fieri potest ut quod scio aliquem non habere, hoc eum tu habere non certissime teneas sed credibiliter suspiceris, et ob hoc tibi videatur intervenire pro eo qui et sceleris poenam sibi cupiat relaxari et id propter quod scelus admissum est possidere. Ad summam igitur neque apud tales si qui reperiuntur, qualem te esse gaudemus, neque apud ipsos qui magno studio aliena ac nihil profutura, multaque etiam pretiosa ac perniciosa petunt, neque apud cor meum, cui testis est deus, ausim dicere sentire decernere interveniendum esse pro aliquo ut quod scelere abstulit sceleris impunitate possideat, sed ut remissa iniuria quod iniuriose abstulit reddat, si tamen habet quod abstulit vel aliud unde illud restituat.

Non sane quicquid ab invito sumitur iniuriose aufertur. Nam plerumque nec medico volunt reddere honorem suum nec mercedem operario. Nec haec tamen qui ab invitis accipiunt per iniuriam accipiunt, quae potius per iniuriam non darentur. Sed non ideo debet iudex vendere iustum iudicium aut testis verum testimonium, quia vendit advocatus iustum patrocinium et iurisperitus verum consilium. Illi enim inter utramque partem ad examina adhibentur, isti ex una parte consistunt. Cum autem iudicia et testimonia, quae nec iusta et vera vendenda sunt, iniqua et falsa venduntur, multo sceleratius utique pecunia sumitur, quia scelerate etiam quamvis a volenti